A. Ω.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MORBIS BIBLICIS N. T.

Quam

IN UNIVERSITATE FRANCOFURTANA

Ex

DECRETO GRATIOSISS. FACULTATIS MEDICÆ

SUB PRÆSIDIO

DN. CONRADI JOHRENII,

PHIL. & MED. U. DOCT. Hujusque PROF. PUBL. ORD. ad hunc Actum DECANI SPECTABILIS,

PRÆCEPTORIS ATQUE PATRONI PIE COLENDI,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN FACULTATE MEDICA CONSEQVENDI HONORES DOCTORALES

ſolenni examini ſubmittit

H. L. Q. C.

D. XVI. Februar. Ann. M DCC IV.

M. GEORG. PETRUS Schultz/

Francofurt. March.

Francofurti ad Viadrum, *Literis* CHRISTOPHORI ZEITLERI.



B. C. D.

DISSERTATIO

De

MORBIS BIBLICIS N.T.

§. 1.

DE Morbis Biblicis N. T. differentes citra ambages de Titulo haud solliciti, ad rem ipsam transimus statim. Videbis L. B. Terminorum Medicorum, quibus Scriptores N. T. usi, evolutionem perbrevem, eamque, prout Instituti ratio postulat, tum Philologicam tum Medicam. Plurimi inveniuntur Morbi denominati in N. T. Sed hac vice Quosdam tantum tuo Judicio exponere potuimus. Cognosces interea ex Tractatione præsenti, quis nobis fuerit animus & Sepositos Morbos tractandi, si majora nobis concesserint Negotia Otia.

§. 2.

Hisce præmissis ad morbum fœminæ Matth. IX. ut transitum faciamus, qui morbus fuerit, quæque ejus ratio, inter Autores quæritur. In Textu γυνὴ αἱμοῤῥοῦσα *Mulier sangvisflua seu sangvinis profluvio laborans* dicitur, quemadmodum & versio Syriaca hoc vocabulum satis explicans vertit: *Mulier cujus Sangvis profluxerat.* Morbus igitur αἱμοῤῥοὶς vel αἱμοῤῥαγία fuit; prout hæc vocabula quando-

que pro Synonymis reperiuntur, quandoque ex Sententia *Galeni* discrimen quoddam agnoscunt, dum hæc copiosa sit Sangvinis effusio, illa, cum sangvis paulatim exit: Fluxus porro dum sangvinis innuitur, cujus indolis fuerit diverse decidunt Autores. Quidam a venarum hæmorrhoidalium quæ sedem perreptant defluxu deducunt, atque ansam dedere *Adero l. c.* sese opponendi, & per Tributum istud lunare cruentum fœmineum explicandi. Adsociat se huic *Beza, Piscat. Thom. Bartholin. de M. B. p. 79. Mercurial. L. 4. de Morb. Mul. cap. 7.* Alii fluxum Seminis vertunt, eumque honestiori vocabulo sangvinis fluxum vocari perhibent. *Brutus ad h. l.* scribit, laborasse fœminam infirmitate interna membrorum vitalium, ita ut alimentum omne prope converteretur in sangvinem ineptum ad nutritionem, quem nativa virtus non posset in venas digerere, itaque effluere coactum per partes secretiores, hincque fœdum & pudendum fuisse morbum. Hæc ille quidem commentatur, sed quam obscurus quoque sit, omnes vident. Nos *B. Bartholino* consentientes medice describimus Mensium fluxum immodicum, quod sit Nimii Sangvinis menstrui per Uterum excretio a vasorum Uterinorum apertione producta. *Causa* igitur *immediata* erit vasorum quovis modo facta apertio s. Anastomosis s. Diæresis, s. Diapedesis sit: *Mediatam* in sangvinis vel acrimonia vasa erodente, vel nimia copia vel motu extraordinario ostia eorum pulsante & premente quærendam, brevibus concludimus. *Signa Diagnostica Affectus* per se patent, & ex querelis ægrotarum facile cognoscuntur: *Causæ* item facile apparent. Nam Plethora evidens: Acrimoniam ut & motum auctum arguunt tum excretus Sanguis, tum in exernendo dolor & ardor. Anastomosin præcedunt causæ eam inducere aptæ e. g. æstus, coitus immodicus, partus laboriosior, abortus, mensium

sup-

ſuppreſſio &c. Diæreſin, dolor & ardor circa cervicem uteri, mutatus color ſanguinis, excoriatio, Phlogoſis &c. *Prognoſin* quod attinet, periculoſa ſane eſt, inprimis in adultioribus & ſi immodice duret. Vires enim exſolvit, Hydropis, Aſcitis, Anaſarcæ, Cachexiæ, anguſtiæ pororum tum in univerſo corpore, tum maxime in ipſo utero, Inflammationis, exulcerationis aliorumque morborum prodromus eſt. Oriuntur præterea Vertigines, capitis dolor, lipothymiæ, Laſſitudines, Langvores totius corporis facies pallida, inappetentia, ſitis, dolor lumborum, tumor pedum & ſexcenta alia ſymptomata, quæ miſeras mulierculas miſere affligunt. Hoc tamen adhuc notandum, illum fluxum per Diapedeſin minus, per anaſtromoſin magis, per Diæreſin maxime periculoſum tradi a Medicis. Ad Curam ordinariam antequam nos convertamus, brevibus Medicamenta a R.R. paſſim in ſcriptis eorum contra hunc affectum muliebrem commendata videbimus, forte & huic fœminæ noſtræ præſcripta olim: quoniam ἥτις ἰατροῖς προσανελώσασα ὅλον τὸν βίον. *D. L. Die hatte alle ihre Nahrung an die Aertzte gevvandt.* Sic vero illi: Bab. Schabb. fol. 110. dixit R. Jochanan. Recipe מתקל זוזא קומא אלכסנדריא Gummi Alexandrini pondus Suſæi, & pondus Suſæi גביא גילא Aluminis. כורכמא רישקא Croci hortenſis pondus Suſæi. Conterantur hæc una, & in vino dentur fœminæ hæmorroούσῃ.

Si hæc non proſint

Accipe תלתא קפיזי שמכי פרסאי Ceparum Perſicarum ter tria Log. vino coquantur, atque inde eam potare debes, dicasque קום מזביך ſurge a profluvio tuo.

Si hoc non valeat,

Siſte eam in aliquo bivio, manuque teneat poculum vini: Veniatque aliquis à tergo ejus eamque terreat, dicens קום מזביך ſurge a profluvio tuo.

 Aliud

Aliud Remedium ſi præcedentia nihil obtinuerlnt.

Recipe דכמונא בינא Manipulum Cymini, בונא דמריקא Manipulum Croci, לתא דשבלי בונא Manipulum fœni Græci: coquantur vino, & dentur ei potanda, cum clauſula ordinaria, ſurge a profluvio tuo.

Aliud.

Fodiant ſeptem foveas, in quibus comburant ſarmenta quædam vitium non circumciſarum, i. e. quæ nondum quadriennium attigerunt. Accipiatque in manu ſua poculum vini; deinde illam in unaquaque fovea ſedere faciant, & dum illam ex una in aliam amovent, dicant, Surge a profluvio tuo. Hæc etſ. illis relinquimus Medicamenta, & paucis ad Curationem prouti in Medicorum noſtrorum Scholis recepta, oculos convertimus. Commendantur ab illis Rad. biſtortæ, Tormentillæ, Sem. plantag. ſumach, &c Corall. rubr. Lap. hæmatit, præpar. Bol. Armen. Unic. Sangv. Drac. Terr. Sigill. Magiſt. Corall. Terr. Japon. Teſt. Ovor. ad albed. calcinat. Cort. Peruv. Troch. de Carab. Rd. Ipeucanh. Vitriol. Mart. T. Sulphur. T. Lap. hæmatit. Sperniola Crollii, Spec. Diamart. Diaplantag. Mynſ. Pilulæ Stypticæ ejusdem, Mixtura Styptica Sylvii. Eſſent. Mumiæ. Uſnea, Cranii humani vel interne, vel externe adhibita, Gummi Trajacanth. Arab. Ceraſ. Laudan. Opiat. quod quidem ſine Croco & Caſtor. conficiendum ad uſum præſentem volunt. Etſ. ex quibus pro re nata variæ componi poſſunt Formulæ. Martiata vero præ cœteris commendat Experientia, ut & Raſuram ligni quercini, & Decoctum Cupularum glandium. Opiata caute adhibenda, ne in Hydropem denegeret morbus, interim tamen non in totum negligenda. Jam poſtquam vidimus, quæ Prognoſis diuturnioris fluxus, admiranda ſane res, quod XII. Annorum hoc Malum tamdiu vitam concedere potuerit fœmellæ huic. Divina igitur

abs-

absque dubio fuit voluntas hanc conſervare ægram, ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῇ, & iſte Medicus ex Gilead hunc morbum incurabilem redderet curabilem. Apprime *Vogler. l. c. p. 290.* ſcribit: *Accedit facile fieri poſſe, ut natura quoque & propter pure naturales cauſas tale muliebre profluvium curationem amplius non admittat, interim in hac muliere fortasſis* θεῖόν τι *accesſiſſe, omniaque medicamenta licet dextre adhibita vi ſua fuiſſe privata, quod a Chriſto demum miraculoſe curanda foret mulier.* προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, καὶ παραχρῆμα ἔστη ἡ ῥύσις τοῦ αἵματος αὐτῆς. *Accedens retro tetigit fimbriam veſtimenti ejus, & confeſtim ſtetit fluxus Sangvinis ejus*, Verba ſunt Lucæ, quæ totam Curam miraculoſam abſolvunt, quæque huic §. finem imponunt, cum quoad reſolutionem horum verborum conferendi venerandi Interpres ap. *Polum in de Synopſ. Critic. T. IV. ad h. l.* In fine tamen & hoc notandum ducimus, fuiſſe & eſſe quamplurimos Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, qui aſſerunt: Hanc fœminam hæmorrhouſam in grati animi monumentum Medico ſuo Divino Statuam poſuiſſe in urbe Paneade: Petiiſſe id ferunt ab Herode in libello ſupplici cui inſcriptionem fecerit: *Auguſtum Herodem Toparcham Judæis pariter & gentibus Legislatorem, Trachonitidis Regem Veronica honorabilis Paneadis incola, humillime precatur &c.* Herodis vero Reſponſionem hanc faciunt: *Hæc in te, o Mulier, facta ſanatio maximi ſane digna eſt momenti. Abi igitur & ſtatuam ei erige, qualem vis, honorem optatum illi exhibens, qui te ſanam reddidit.* Materiam alii æneam, ſic *Euſeb. H. E. L. 7. c. 18. Aſterius apud Photium cod. 271. Philoſtorgius H. E. L. 7. §. 3. p. 87, Nicephorus H. E. L. 10. c. 30. Joh. Molala in Hiſt. Chron. p. 305.* addit illam auri aliquantulum & argenti admiſcuiſſe, Alii plane auream ſtatuunt. Quoad Numerum *Euſebius* duplicem juxta januam

do-

domus docet, uni ſcil. columnæ mulieris effigiem fuiſſe impoſitam, genibus flexis protenſisque manibus ſupplicantis: Ex adverſo Viri ſc. Chriſti ſtantis ac diploide decenter induti manumque mulieri porrigentis. Cum e contrario cœteri autores citati unius tantum mentionem faciant. Quæ pluribus deducta legere poſſumus apud *Joh. Schmidium, Prof. Lipſ. celeberrimum, Præceptorem olim meum pie venerandum, in Diſp. de Statua Hæmorrhouſæ Lipſ. 1698. hab.*

§. 3.

Luc. XIII. v. 11. Quæ morborum ſpecies indagitetur, cognitu ſane difficile Autores judicant. πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας verba ſunt, quæ in diverſas maxime explicandi methodos traxit interpretes. *Brut. & Bez.* Spiritum, reddunt, efficientem invalitudinem ſeu morbum, ut ſpiritus avaritiæ, fornicationis, i. e. Spiritus impellens ad avaritiam, fornicationem &c. Ita & *Piſcat. Grotius* exiſtimat poſſe quidem πνεῦμα Hebræorum more pro ipſo morbo accipi, ſed cum infra aperte dicatur a Satana immiſſum hoc malum, præſtare ita intelligi, quomodo πνεῦμα ἄλαλον dicit Marc. 9. v. 17. Dæmonium, quod loquendi facultatem impediat. Alia explicatio *Lightfooti eſt in Hor. Talmud. ad h. l.* ex cujus ſententia Scriptor S. forſan ſpiritum ἀσθενείας dicit per antitheſin ad Spiritum ἀκαθαρσίας immundum (quem a Spiritu malo morbos infligente diſtingvebant; ſub cujus agitatione eſſe putabantur, qui inter ſepulchreta, loca immunda vel ſponte pernoctarunt, vel ambientes afflatu ſpiritus immundi ſ. diaboli exagitabantur) & ad νόσον ἀκαθαρσίας morbum immundum, quem inflixit Dæmon, *Voglerus de Reb. Nat. quarum in Scriptura Sac. fit mentio p. 321* hunc affectum a maligno quodam ſpiritu fuiſſe inductum etiam affirmat, atque hanc hiſtoriam manifeſtum nobis præbere exemplum, quam ſæpe plurimis morbis divini quid inſit, docet.

Quic-

Quicquid interea ſit, ſufficit incurvatam fuiſſe. ἦν συγκύπτουσα dicit ſ. Codex, Curva ſeu Incurva, *Tremell.* & *Syr.* *Capellus* Gibboſam vertit. *Æthiops* Complicatam. *Eraſm.* & *Vatabl.* Contracta & deflexa toto corpore ſc. in terram; quemadmodum & Nazianzenus συγκύπτειν non male exponit κάτω νεύειν Sic & LXX. Job. 9. v. 27. συγκύψαι προσώπῳ vertunt Hebr. אֶעֶזְבָה פָנַי i. e. relinquam vel dimittam vultum meum. *Ader. de Morb. Bibl. cap. 3* non ſolum gibboſam ſtatuit, ſed & convulſam, idque emproſthotono, quæ tenſio eſt flectentium muſculorum in anteriora, præ qua jam diu arcuata ac inflexa permanſerat, marcida & nutritia vi deſtituta hectica facta, ac proinde incurabilis, quia ſic citas convulſioni juncta erat, juxta Hippocratem. Additur a Luca, καὶ μὴ δυναμένη ἀνακύψαι εἰς τὸ παντελές. D. Luther. *Und konte nicht wohl auffſehen*, quanquam in Textu omnimode denegetur ipſi, quod ſe erigere juxta *Arab. l. c.* recurvare & caput attollere *Grot. l. c.* extendere ſe ex *Syro* potuerit; ut hinc *Vogler. l. c. p. 319.* commentetur: *Mulierem hanc fuiſſe corpore plane incurvato, ita videlicet, ut toto pectore prone inceſſerit, qualem anum quandam ante aliquot annos hic quoque novimus, ex Græcis verbis plane apertum eſt.* Illuſtrare poſſunt explicationem hanc Medicam hujus Clar. Viri *Fel. Würtz. Opp. p. m. 773.* verba: *Ich ſelber habe es an den Kindern erfahren, deren ich mich doch nicht habe dürffen annehmen, dann ich doch wohl wuſte, daß niemand dieſes* (loquitur de Nutricibus, quæ puſiones in ulnis geſtantes ſæpe per incuriam retro flecti Germ. überſchlagen patiuntur.) *wolte gethan haben, und nichts deſtoweniger ſahe, daß dem Kinde ſein Rückgrad entzwey ware, und die Spondoli oder Würbel von einander gerückt, oder ſo viel gewichen waren, daß man ſie nimmermehr auff*

 ein-

einander behalten mochte. Wann nun dieses einmahl geschiehet, so vverden dann Leute draus, so hernach gebogen geben, oder zu beyden Seiten hincken, daß ihnen auch das Haupt zvvischen die Beine vvachsen vvill. Judicare ex his forte poteris L. B. qua ratione Dæmon hoc introduxerit malum, fieri enim potuit, ut vel per emprosthotonon continuum, vel per modum, quem *Felix Wurtz* descripsit, in tenerrima ejus ætate suæ satisfecerit libidini nocendi generi humano. Iste interim qui Verbum Essentiale & de quo jam olim Sybillæ cecinit Oraculum: πάντα λόγῳ πράττων, πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων, unico verbulo hanc miseram pristinæ restituit Sanitati, idque præstitit, quod nemo mortalium præstare poterat, nec potest. Licet enim in Convulsionibus atque Luxationibus remedia adhibenda a Medicis tradantur. e.g. Aq. Lil. Convall. Aq. Hirund. cum Castor. Calend. Tiliæ, Castor. ejusque Essentia præsertim cum Spir. sal. arm. & sal. volat. succini parata, Specif. Cephal. D. M. Pulv. Bezoard. Cinnabarina, Unic. foss. Cran. human. Ebur, Ungul. Alc. Visc. querc, Rut. Spir. Vol. C. C. Lycopod. farina & Coryli quam sulphur vegetabile vocant in Aqv. Lil. Convall. exhibita, ejusque Tinct. cum Spir. Sal. Armon. Ita Olea varia e.g. Terebinth. Lumbr. Terrestr. Succini, Juniper. Spic. Pingv. human. &c. Hæc licet sint Remedia satis tuta humanæ imbecillitati, ægram tamen per 18. annos, ἣν ἔδησε ὁ σατανᾶς, his nedum verbulo sanam reddere velle, res impossibilis foret, ut hinc Virtutem ex Christo exeuntem satis pie admirari vix valeamus.

§. 4.

Adjungimus his ægris fœminis & tertiam, Socrum scil. Petri, cujus status morbosus Matth. VIII, v. 15. Marc. I. v. 29. & Luc. IV. v. 38. descriptus legitur: Ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ. *Tenebatur febri magna.* D. Luth. *Sie vvar mit ei-*

einem harten Fieber behafft. κατέκειτο πυρέσσουσα. *Decumbebat febricitans.* D. Luther. *Die Schwvieger Simonis lag und hatte das Fieber.* εἶδε τὴν πενθερὰν αὐτοῦ βεβλημένην καὶ πυρέσσουσαν. *Vidit Socrum ejus jacentem & febricitantem.* D. Luther. *Und sahe daß seine Schwvieger lag, und hatte das Fieber,* Observationes sunt Medicæ Evangelistarum & relationes. Consentiunt igitur in eo, quod febri laboraverit; cujusnam vero indolis fuerit, non expressere Sancti Viri. Lucas interim πυρετῷ μεγάλῳ, eam decubuisse dum adserit, & reliqui πυρέσσουσαν, quoque describunt, hinc plerique Medicorum suspicantur Febrem fuisse ardentem, quam alias & καῦσον dictam a Natura ignea hoc vocabulum adeptam statuunt. *Aderus l. c.* de Loco sollicitus seu Domicilio hujus ægræ idem intendere videtur, dum commentatur: *Locus seu Capernaum fuerit vel Bethsaida (uterque enim erat ad littus maris Galileæ) calidus erat siccus, salsus & retorridus, unde tale mulieris temperamentum.* Verum licet concedamus iis Medicis ἀπὸ τοῦ πυρὸς ab igne suam originem trahere vocabulum πυρετὸς, simpliciter tamen ex hac ætiologia Conclusio non seqvitur, qvippe Græci in genere Febrem hoc vocabulo exprimunt ob calorem præternaturalem, quem febres præ se ferunt omnes. Eandem rationem quoque agnoscunt Chaldæi & Talmudistæ, dum febrem אֶשָׁתָא vocant sc. ab אֶשָּׁא Igne, & dum illis אשתא דסתוא קשה מדקיטא *febris hyemalis gravior est febri æstivali Joma. fol. 91.* additur illustratio ab igne desumta, quod sicut fornax in hiemali frigore plus ligni requirit, ut calefiat, quam in æstate: Sic febris in hyeme majorem calorem concipiat, corpusqve magis incendat: Idem Syrus approbat; cui אשתא appellatur l. c. Alias in Scriptura S. V. T. generalem denominationem febris non inveniri, sed דַּלֶּקֶת item חַרְחֻר & קַדַּחַת Febrem ardentem significare tradit *Buxtorf.*

qui

qui & רֶשֶׁף quod D. Luth. Febrem vertit, per Inflammationem vel morbum ardentem reddendum ſtatuit. Nobis cum Voglero l. c. p. 265. *quanam febri Petri Socrus laboraverit perinde eſt, quum ex nullis conjecturis illud ipſum poſſit definiri, etſi Lucas IV. 28. dicat, eam fuiſſe detentam πυρετῷ μεγάλῳ. Parum quoque refert qualinam febre corrupta fuerit, cum vis miraculi in Curatione plane inuſitata conſiſtat.* Conſiſtebat vero Curatio in eo, quod Chriſtus fuerit ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, *adſtans ſuper eam, Piſc. Imminens ei. Brut.* D. L. *Er trat zu ihr.* geſtus enim erat inclinantis ſeſe ad fulcrum lecti, ut eam manu prehenſa allevaret. *Sic Beza ad h. l.* D. Lutheri verſio certe maxime H. GROTIO arriſit, dum illi *videtur addito ἐπάνω nihil aliud, quam acceſſum de proximo ſignificari. Ita enim & LXX. 2. Sam. 1. 9. ἐπίστηθι ἐπάνω μου,* i. e. *propius ad me accede.* Et hanc Grotii verſionem Lutherus quoque l. c. approbaſſe legitur, dum verba hebraica עֲמָד־נָא עָלַי vertit, *Tritt zu mir*, ut adeo hi viri Helleniſmum in Luca agnoviſſe videantur. Quicquid ſit hoc certum eſt, propiorem acceſſum Chriſto placuiſſe, quem etiam Marcus expreſſe docet h. v. καὶ προσελθών. *Imperavit deinde Febri*, quo ritu, non liquet, verbisne id fecerit Servator, an ille juſſus in *manu ejus apprehenſione ſeu tactu*, & ut Marcus, (qui ex ſententia Grotii hujus hiſtoriæ circumſtantias ex Petro propius didicit) addit, *Elevatione ſeu Excitatione ægræ* conſtiterit, ſicque magis realis quam verbalis ſeu Oralis juſſus fuerit, decidere non poſſumus, ſufficit enim *Febrem eam dimiſiſſe*, illamque reſtitutam Chriſto Medico ſuo grata & devota præſtitiſſe officia. Vidimus Miraculoſam Chriſti Curam, nunc etiam Methodus noſtra poſtulat, ut videamus, quæ humana Methodus febres curandi, quæque adhibeantur remedia. Præmittimus vero generalem Febris deſcriptionem quod ſit Turbata Sanguinis

Mixtio

Mixtio cum ἀταξία Spirituum animalium ; quæ pro particularum incongruarum ſangvinem & humores ingredientium diverſitate variæ indolis exiſtit. *Cauſam* hinc atque Eſſentiam Febris in eo conſiſtere ſtatuunt Medici recentiores, quod Sangvineæ Maſſæ tale quid permiſceatur, quod nec in particularum figura earundemque motu cum ipſo ſangvine habeat proportionem, ſicque inſolita fermentatio & motus inordinatus vel Sangvinis vel Spirituum animalium oriatur ; quæ brevibus dicta Autores recentiores prolixius deducunt. *Prognoſin* quod attinet, Turbatio Sangvinis quo major vel minor, eo febris etiam majus vel minus periculum infert. Urina turbida nullum deponens ſedimentum, magnam humorum turbationem indicat, & vice verſa. Pulſus debilis dubii eventus prænuntium eſt. Autumales febres magis periculoſæ ſunt, quam vernales &c. quæ apud Practicos paſſim legi merentur. In Cura quamplurimas ducere poſſemus lineas, cum nullus affectus tam decantatus quam quidem hic noſter, & tum Veterum tum recentiorum Medicorum, imo & vulgi tum innoxia tum ſuperſtitioſa recenſere remedia, ſed jure abſtinemus. Et cum pro varietate Febrium varia quoque atque diverſa requirantur Medicamenta, ideoque quæ hypotheſin ſpectant in theſi determinare non poſſumus. Abrumpimus filum, & DEO T. O. M. nos noſtraque ſtudia devote commandamus.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

I.

Ut omnis generatio ſic & hominis ex Ovo fit, interim tamen non concipitur Homo formaliter ut Ovum.

II.

Huic ita dicto Ovulo vel potius veſiculæ Limpidus ineſt liquor, cui punctum Seminale ineſſe arbitramur, in quo ſtamina futuri animalis deliteſcunt concentrata.

III.

Hæc ſtamina concentrata impulſu Seminis virilis excentrica fiunt mota, explicantur & ad propriam ſpeciem fabricatur corpus ſecundum magnitudinem, qualitates, figuras & reliquas ſignaturas ſibi convenientes. Quod ſi Fermentationis nomine inſignire velis, non contradicimus.

IV.

Ut ex Diſpoſitione Divina equus equum, Leo leonem, ſic & Homo generat hominem, ideoque etiam animam non ſeparatim a Deo creari, & circa tempus aliquod certum infundi fœtui, quin potius illam cum corpore ſimul generari aſſerimus.

V. Ex

V.

Ex Vermiculis, quos Leeuvvenhoek per Microſcopia in Semine canino detexit, fœtum fieri, licet datum verminoſum fuiſſe Semen non negemus, inanis ſpeculatio eſt.

VI.

Illum qui ex intentione mulieri prægnanti abortum procurat, ex th. 4. homicidii reum eſſe putamus.

VII.

Uti Transmutatio Metallorum per tincturam univerſalem ſive Lapidem philoſophicum; ſic & morborum Curatio per illum fit, & uti veritas ejus noviſſimo exemplo ſatis conſtat, ſic & Panacæam dari ſuſtinere non veremur.

VIII.

A dicto Mendacio Puſtulas in extremitate Linguæ uti Theocritus Jdyll. IX.

Μηκέτ᾽ ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς.

Non amplius in linguæ ſummitate puſtulam produxeris.

oriri, credere penitus ſuperſtitioſum eſt; Uti & Capillorum Defluvium, Ungvis Dentisque Deformationem, aut maculas ſecundum proportionem ſuam delictum aut gravius aut levius indigitare commiſſum. Quod & olim cognovit Ovid. L. 3. Amor. Eleg. 3. ubi inquit:

Eſſe

Esse DEos credamne? Fidem jurata fefellit.
Et facies illi quæ fuit ante manet.
Quam longos habuit nondum perjura capillos,
Tam longos postquam numina læsit, habet.

Et Horatius L. 2. Od. 8. Carm. de Paryne sua quoties etiam pejeraverit; pulchriorem tamen semper fieri memorat seqq.

Dente si nigro fieres vel uno
- - - Turpior ungvi,
Crederem, sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo - - -

IX.

Astrologia licet multis fabulis involuta, interim a Medico contemnenda non est.

X.

Agnos in Tartaria e Terra nasci & subtilior commentatio de Melone agniformi (Boranetz vocant) purum putum figmentum est.

